This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

DD 176 A2A65
Amaseo
Romuli amasei

Przyczynki do dziejów panowania Zygmunta Starego.
Zeszyt 3.

Amaseo, R.

ROMULI AMASEI

DE PACE ORATIO

HABITA BONONIAE CAL. JAN. MDXXX.

NEC NON

CAROLI V. ORATIO AD HISPANOS

DE SUO IN ITALIAM DISCESSU

A. 1529.

WYDAŁ

Dr. ZYGMUNT CELICHOWSKI.

POZNAŃ.
Nakładem Biblioteki Kórnickiej.
1904.

ECB

CD 176
A2 A65

Przyczynki niniejsze — wedle programu wytkniętego w zeszycie I — mają na celu ogłaszanie materyałów odnoszących się do czasów i do dziejów panowania Zygmunta Starego. Treść wychodzącego obecnie zeszytu III nie dotyczy wprost panowania Zygmunta Starego, ani w ogóle dziejów polskich, ale oba ogłoszone tutaj dokumenta wciągamy w zakres niniejszego wydawnictwa, gdyż znajdują się w kodeksach Tomicyanów, ułożonych przez Stanisława Górskiego i to pod rokiem 1530. Wykluczamy je z wydawnictwa Tomicyanów, jako nie odnoszące się do dziejów polskich, drukujemy je atoli osobno, aby nie uronić niczego, co Górski uznał za godne pomieszczenia w swych kodeksach a co widocznie budziło wówczas nie małe w Polsce zajęcie.

Wypadki polityczne na zachodzie, wojna między cesarzem niemieckim Karólem V a królem francuskim Franciszkiem I, jakoteż zatargi cesarza z papieżem Klemensem VII nie dotykały wprawdzie Polski bezpośrednio, ale wobec grożącego od Turcyi niebezpieczeństwa zakończenie owych wojen i zatargów zachodnioeuropejskich nie było i dla wschodu Europy bez znaczenia. Poseł polski Jan Dantyszek zdawał królowi Zygmuntowi dokładne relacye o tem, co się działo na dworze Karóla V, donosił szczegółowo o zawarciu pokoju między cesarzem a papieżem i on też niezawodnie przesłał do Polski mowę Romulusa Amaseusa O p o k o j u, którą miał tenże w Bononii dnia 1 stycznia 1530 z okazyi i na uczczenie zgody zawartej między papieżem a cesarzem. Mowa ta drukowana była współcześnie w Krakowie, a czy to z owego druku czy z odpisu przesłanego przez Dantyszka dworowi polskiemu — dostała się do kodeksów Górskiego.

Wspomniany druk, którego 2 egzemplarze posiada biblioteka Kórnicka, ma tytuł:

Romuli
Amasei de pace
oratio.
In commendationem Romuli
decastichon, Aniani Burgonii.
Pax loquitur.

Poczem następuje wspomniany dekastych.

Poniżej: Habita Bononiae. Calendis Ianuarii M. D. XXX.

Tytuł w obramowaniu z kolumn, łuków i arabesek. Druk in 4-to, złożony z $3^1/_2$ arkuszy po 4 karty, z sygnaturą A—C., tekst zaczyna się na str. A II; — na odwrotnej stronie karty D I, nie sygnowanej, wymieniona drukarnia, rok i miejsce druku: Apud regiam Cracoviam Mathias Scharfenbergius excudebat. An. M. D. XXX. Ostatnia karta (D II) czysta.

Drugi egzemplarz biblioteki Kórnickiej nie różni się niczem od wyżej opisanego, nie ma tylko wzmianki na dole tytułu: habita Bononiae Calendis Januarii MDXXX.

W Tekach Górskiego znajduje się Oratio de pace pod numerem 1283 — z początku w odpisie Górskiego (do słów: Quid enim in his non ordinem locumque suum obtinuit), następnie we współczesnym rękopisie — może przez Dantyszka przysłanym; — w kodeksie Sapieżyńskim VIII pod numerem 42, w kopii kodeksu Jagiellońskiego pod numerem 19.

Autor mowy — Romulus Amaseus — urodził się r. 1489 w Udine we Włoszech. Poświęcił się naukom humanistycznym i wykładał następnie łacinę i język grecki w Bononii, której rada miejska powierzyła mu urząd sekretarza. Z Bononii udał się do Rzymu, gdzie papież Paweł III powierzył mu wychowanie swych siostrzeńców. Poznano się w kuryi papieskiej na jego zdolnościach i używano go do rozmaitych poselstw — do cesarza, książąt niemieckich i do Polski. Papież Juliusz III zrobił go swym sekretarzem, — trzymał go przy sobie również papież Klemens VII.

Obok zajęć dyplomatycznych trudnił się także pracami literackiemi: przełożył Pausaniasza i Ksenofonta Cyropedyę z greckiego na język łaciński, wydał *Scholas duas de ratione instituendi*, jakoteż tom swych mów, mianych przy różnych okolicznościach. Umarł w Rzymie — wedle jednych źródeł w r. 1552, wedle innych w r. 1558.

Mowę niniejszą o pokoju napisał — jak o tem sam wspomina — z polecenia papieża Klemensa VII, na uświetnienie zgody zawartej między tymże papieżem a cesarzem Karólem V.

Dla nas ma ona szczegółowo to znaczenie, że wspomina króla naszego Zygmunta z wielkiemi pochwałami i uznaniem — jako pogromcę niewiernych a wielkiego zwolennika pokoju między książętami i narodami chrześcijańskiemi. O królu naszym i stósunkach polskich mógł mieć autor pewne wiadomości od bawiącego równocześnie w Bononii posła polskiego Jana Dantyszka.

Drugim dokumentem, który umieszczamy w niniejszym zeszycie Przyczynków, jest mowa, jaką miał cesarz Karól V przy odjeździe swym z Hiszpanii do Włoch w r. 1529. I ta mowa, jak poprzednia „o pokoju", nie odnosi się do dziejów polskich, a dajemy ją tutaj jedynie dla tego, że wciągnął ją Górski do swych kodeksów Tomicyanów; uważaliśmy zaś za rzecz stósowniejszą pomieścić ją w niniejszych Przyczynkach, niż w samych Tomicyanach, będących zbiorem dokumentów i listów odnoszących się wyłącznie do dziejów polskich za Zygmunta Starego.

W kodeksie Sapieżyńskim znajduje się w tomie VIII pod numerem 41, w kopii kodeksu Jagiellońskiego w r. 1530 pod nr. 18. Jak mowa Amaseusa „o pokoju", tak i mowa Karóla V dostała się do Polski niewątpliwie przez Jana Dantyszka, który ją przysłał królowi albo Tomickiemu.

Czy Karól V wygłosił istotnie mowę tę przed jakiem zgromadzeniem Hiszpanów, jakby to z nagłówka wnosić można, czy też była ona rozpowszechniona jako odezwa do Hiszpanów przed wyjazdem do Włoch, nie umiemy objaśnić. Mowa sama jest ciekawym objawem przechwałek i samochwalstwa, i przypuszczamy, że głównym jej celem i zadaniem było nie uspokoić Hiszpanów, lecz dobrze usposobić papieża i miasta włoskie dla Karóla V przed przybyciem jego do Włoch. Cel ten został osiągnięty, a zgoda z papieżem przypieczętowana pokojem w Bononii.

ROMULI
AMASEI DE PACE
ORATIO.

IN COMMENDATIONEM ROMULI
decastichon Aniani Burgonii.[1])

PAX LOQUITUR.

Quis novus hic paean? tantae quae gratia vocis?
Aures quae complet buccina clara meas?
Sidera melliflui resonant modulamine cantus
Summorumque aures vox ferit ista deum.
Romulus hic nonne est? o, bis me terque beatam,
Laudis cui preco contigit iste meae!
Quas tibi nunc tali referam pro munere grates,
Romule, qui nomen tollis in astra meum?
Alter eris jam tu (nec me mens fallit) ab illo,
Romani princeps qui fuit eloquii.

HABITA BONONIAE. CALENDIS
JANUARII. M. D. XXX.

[1]) Powyższego wiersza nie mają kodekсy Tomicyanów.

Pacem, Clemens pontifex maxime, Carole imperator invicte, patres amplissimi, principes fortissimi ac generosissimi, legati viri lectissimi, augustam et sanctam pacem, e Dei summi civitate electoque ejus populo caeco opinionis errore jam pridem ejectam ac per tot ante annos christianis omnibus optatam semper, vix unquam speratam, a mente spirituque divino, a coelo hodierno die demissam, gratulabundi excipimus et veneramur. Effectum tandem est tua, pontifex maxime, pietate et sapientia, tua, caesar, clementia et aequitate, principum ac rerum publicarum facilitate atque humanitate, ut a maximis miseriis et calamitatibus universae christianae rei publicae liceat respirare ac, si pace quovis tempore nihil melius aut optabilius ducimus, quam jucunda et illustris ea nobis pax esse debet! In qua sola fuit post innumerabilia aetâtis nostrae mala atque ingentium malorum turbulentissimas tempestates salutis et tranquillitatis spes reponenda! Quae quoniam pax non nisi afflictis ac prope perditis rebus a Deo optimo maximo potuit impetrari, re quidem vera judicandum est, illum ipsum rerum omnium opificem et conditorem Deum populi sui licentiam gravissimis animadversionibus coërcere voluisse, ejusdem vero in minime dubiam perniciem labentis misericorditer ad salutaria consilia mentem convertisse, ut cum, quae ipsius esset in puniendo severitas, in miserando facilitas, maxime perspicuis eventorum indiciis cognitum et perspectum haberemus, a pravis cogitationibus omnique fraudum genere ad rectas honestasque rationes animum revocantes et ipsum verum atque unicum Deum sanctius et purius coleremus ac tum demum maximis periculis liberati perpetua in posterum pace atque otio frueremur. Merito itaque hunc, tu pater beatissime, diem, sanctissimum hunc atque optatissimum diem, qui et finem adversarum et secundarum rerum nobis initium attulisset, apparatissima supplicatione decoratum, summorum sacerdotum, principum ac legatorum frequentia celebratum, et vero una cum caesare divinis ceremoniis praesidente, hymnis, cantibus, precationibus nobilitatum, illustratum, sanctitum voluisti idemque mihi imperasti, ut, qua accomodatissima possem oratione hodiernum supremi dei beneficium ac mirificam clementiam

praedicarem. Quod sane munus, non quia aut ingenio aut ulla dicendi copia ac vi confiderem, sed eam unam ob causam a me susceptum, quod quae tu mihi, pater sanctissime, imperasses, recusare nefas atque impium esse ducerem: jam patris summi, filii atque almi spiritus auspiciis fretus aggrediar ac primum quidem, dum pro tempore brevius, pro facultatis in dicendo meae tenuitate submissius, quam et tantae rei dignitas ac magnitudo et hujus concessus amplitudo ac celebritas postulat, de pace ac de hodierna maxime pace verba facio, te, pontifex maxime, te, imperator augustissime, oro atque obtestor, ut actionis meae cursum divinitatis ac majestatis vestrae aura prosequamini. Vos etiam obsecro, patres amplissimi, ut me attente ac benigne auscultetis.

De pace attentius cogitanti cum tam ingens ac multiplex se mihi materies offerat, ut non tam copiam, quam in dicendo modum quaerendum intelligam, ipsa mihi quam facillime ratio persuadet, quae in rerum natura constant bona pulchraque, omnia pacis ipsius vi ac potestate contineri atque hanc ab initio e divina mente ac sapientia exstitisse, quae universi compagem, quem mundum dicimus, stabili partium societate mutuoque nisu tueretur. Etenim si rerum inter se diversarum consensio ipsa universitatem, id est immutabilem ac sempiternum efficientium causarum et effectorum omnium ordinem conservat, aut eam ipsam consensionem aliud esse, quam pacem, statuendum est, aut, si ea pax est, cunctarum certe rerum conservatio uni huic accepta pulcherrimae atque optimae divinorum operum custodi fuerit referenda. Nihil profecto quicquam possumus fingere animis, cogitatione, aut oculis pulchrius ac utilius comprehendere, quam coelestium sit terrestriumque ac humanarum rerum aequabilitas, ordo et constantia atque hanc tantam, tam admirabilem ac prope infinitam pulchritudinem et utilitatem, quae res alia potuit efficere, quam consensionis et efficaciae vis, quam pacem appellamus, divina providentia ac divino spiritu, mundi (ut ita dixerim) corpori ejusque singulis membris infusa et admixta, quod sane nemo dubitarit, nisi qui aut illud supremum igneis orbibus distinctum et ornatum Dei summi beneficium aut harum, quas animantes incolunt, sedium molem aut postremo animorum aut animantis naturae vigorem, sensum, motum neque oculis cernere neque possit mente aut intelligentia consequi. Quid enim in his non ordinem locumque suum obtinet? non certos ratosque motus ciet aeternae pacis inviolabili lege? Intueamur summum illum et amplissimum coeli ambitum atque inhaerentia ei sidera motumque ejus omnem ac perpetuam conversionem, intueamur illos, quae errantes

dicuntur, stellarum ac lunae solisque orbibus suis ac temporum momentis descriptos cursus atque illinc ad concreta atque e diversa ac dissimili materia constantia corpora, quae elementa dicimus, mentem atque oculos referamus et eorum, quae sit conjunctio et quasi compactio, contemplemur: intelligemus profecto, quam haec omnia pro rata sua parte ac portione continenter suis funguntur muneribus ac mutuo complexu ac temperatione vicissim sibi deserviunt et obtemperant rerum omnium primordia: lucis ac tenebrarum, aestus, frigoris vicissitudines existere, animantes spiritum ducere, cuncta foveri, coalescere, augeri et partes singulas ac totius perpetuitatem propagari atque haec divinae illius pacis, cujus mihi hodierno die toties nomen usurpandum, vi effecta sunt. Per hanc enim firmo arctoque nexu, quam sapiens poëta auream catenam nuncupavit, cum imis media, cum iis summa vinciuntur et copulantur. Per hanc diversae ac natura etiam dissidentes formae ab longinquo extremoque ambitu paribus ac aequalibus intervallis ad medium et intimum quasi punctum, ad ipsius scilicet aeterni Dei Majestatem ac potentiam referuntur ac revocantur atque ab hoc veluti fonte omnis, quam vel sensu percipimus vel animo ac ratione lustramus, utilitas et pulchritudo derivavit. Quod si Dei permissu eae, quas ante nominavimus, facto impetu se invadant ac locis ordinibusque suis alteram altera deturbare contendat ac mutuum etiam sibi auxilium ferre recusent, quae vis jam obsistere aut prohibere possit, quin statim universam hanc mundi machinam humoribus diluvii, ardoribus, conflagratione, tenebris obduci, dissipari postremo atque interire videamus? Age vero, quae aut propria hominis sunt bona aut ei adjuncta ac familiaria consideremus, quis est tam sensus communis expers, quin ea intelligat ipsa imprimis pace niti ac sustentari?

Praeclara sunt atque admirabilia, quae in humanis animis insunt bona, quae cum partim ad cognitionem, partim ad actionem referantur: his certe, quae cognoscendi sunt partes, bene inter se convenientibus purissimum emicat atque efficacissimum intelligentiae lumen, at si qua vi aut offensione confundantur aut perturbentur, obtundi necesse est humanae mentis acumen, judicium labefactari, subverti memoriam et comminui. Jam vero in vitae actionibus si fuerint in animi nostri motus rationi consentanei, quantus in dictis factisve omnibus virtutis et cum virtute conjuncti officii decor et pulchritudo eminet atque elucescit? Quod si ii per dissidium et discordiam a recti, rationis scilicet ipsius officio discesserint, quid cogitari dicive aut geri potest, nisi vecorditer ac turbulenter? Maxime expetitur atque etiam necessaria

ad corporis animique munera obeunda bona valetudo dicitur atque ea quatuor, quibus imprimis vitalis ipsa vis alitur ac fovetur, humorum consensu et amicitia conservatur, per eorundem vero pugnam et quasi tumultum variis ac plerumque perniciosis morborum generibus affligitur et evertitur. Quid dicam de fortunis, quae non tantum in bonis ducuntur, sed ex communi etiam usu loquendi solae sibi bonorum nomen vindicant? Illae quidem salvo jure ac justitia, quae sunt humanae societatis vincula, id est vigente hominum pace et concordia, salvae unicuique et incolumes esse possunt. Quod si plus sibi homines appetant, quam humanae conjunctionis jus, cujus omnis ex pace est orta ratio, patiatur, id unum certe in causa est, ut saepissime illinc aliena invadendi cupiditate incitatis, hinc justa in suis retinendis ira inflammatis dissidentium partium animis agi ac rapi omnia, urbes et agros vastari, sacra et profana violari, suas cujusque opes, imperium, honestatem, caput etiam ipsum in periculum et discrimen vocari videamus. Quod si minus ex his, quas praesertim tam breviter collegimus, rationibus, summa ac plane divina pacis utilitas ac dignitas deprehenderetur, non eam credo nobis sapientissimorum sententiae comprobarent. Atqui e Graecis quendam clarum sapientiae laude hominem carminibus vaticinatum ferunt, quae in rerum natura totoque mundo constarent, quaeque moverentur, amicitia contrahi, discordia dissipari. Eximie, alius inquit, ex rerum natura consensionem et benevolentiam, nec domus ulla nec urbs stare poterit nec agri quidem cultus permanebit. E poëtarum vero numero sunt, qui pacem bonorum custodem, hominum altricem, qui justitiae sororem, qui almam, qui rerum omnium jucundissimam appellant. Sed horum fortassis testimonia minus ponderis habere videantur, qui iis vixere temporibus quibus nondum verae sapientiae hominibus lumen affulserat. Sed quid sanctissimi ac religiosissimi viri, pietatis nostrae locupletissimi autores? An non hi dignissimi sunt, quorum omnis divinitus emissa in hominum aures vox pro oraculis habeatur? Atque ex his quidem, ne omnes nominem, Paulus, religionis nostrae firmissimum columen, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, quos honoris ac venerationis causa nomino, uno consensu atque una et eadem voce, quoties pacem summe salutare atque ex omnibus maxime expetendum bonum esse praedicant et ad eam inprimis amplexandam adhortantur! Pacem, inquiunt, sequimini, sine qua nemo deum videbit. Pacem qui accipit, teneat, qui perdidit, repetat, qui amisit, exquirat. Abdicatos et exheredes dei filios, qui pacem aspernantur, appellant; iidem venturam ad eum nunquam dei haereditatem, qui non observet pacis

testamentum, exclamant ac minitantur. Quam saepe odia ac inimicitias detestantur! Quam multa de reditu in gratiam praecipiunt, quam pie, quam graviter, quam etiam eleganter immensa, quae per pacem hominibus bona Deus impertitur, commemorant! Sed quid horum quilibet de pace senserit ac scriptum reliquerit, idcirco praetereo, quod divinarum omnium atque humanarum autoritatum ille nobis instar esse debet, qui non veridicus aut sapiens, sed ipsa est veritas et sapientia, Christus, et is quidem cum sua justis, innocentibus et integris hominibus praemia polliceretur, quod praemium omnium maximum esset, iis attribuit, quorum ad pacem voluntas et consilia spectarent. Non enim beatos tantum eos fore pollicitus est, sed filii, inquit, hi Dei vocabuntur. Idem vero quam gravibus, quam etiam expressis verbis est discordiam execratus! Omne, inquit, regnum dissidens desolabitur, et omnis civitas vel domus dissidens non stabit. Quid autem frequentius iis, quos diligeret, cum inter homines versaretur, quosque gratia numinisque praesentia dignos duceret, quam pacem est ominatus? Pacis, cum congrederetur, pacis, cum discederet, nomen usurpabat. Pacem jussit familiares ac discipulos suos, in quamcumque domum intrassent, comprecari, quod scilicet, ubi pax esset, ibi se esse, ubi ipse esset, laeta sciebat esse ac secunda omnia. Jam vero a patre in celsam illam atque aeternam coeli sedem evocatus iisdem discipulis, quos patrimonii quasi sui haeredes esse voluit, pacem suam tradidit, pacem suam reliquit. O admirabilem hereditatem, o vera aeterni patris bona! Non regna ille omnium regnorum dominus, non opes, non aurum, non prudentiam denique aut temperantiam aut cetera, quae in bonis homines ducunt, sed pacem, qua una omnes mundi partes, omnia regna, omnes spes, omnia corporis animique bona continerentur, pacem dedit, pacem reliquit.

Sed cum de pace in universum satis in praesentia multa dicta sunt, de hodierna jam pace dicendum est. Nullam ego unquam inter christianos principes pacem factam esse arbitror, quae amplitudine, dignitate, diuturnitatis spe atque opportunitate possit cum hodierna pace comparari. Respiciamus, quoad longissime humana mens potest, praeteriti tempus spatium, pueritiae memoriam ultimae recordemur, omnia foedera, omnes imperiosarum gentium, potentissimorum principum consensiones et conspirationes ex omnibus antiquitatis monimentis colligamus: nunquam profecto inveniemus, tanto consensu atque alacritate, tam multas in unum reipublicae partes ac tam brevi tempore convenisse, atque in commune prope non sententias tantum ac voluntates, sed opes etiam, copias et facultates suas contulisse. Atque hujus quidem pacis

amplitudinem facile is perspiciet, qui tacita fuerit persecutus cogitatione, quot principes aut per se aut per legatos suos, spectatissimos et gravissimos viros, in hujus pacis sanctissimas leges jurarint ac societatem inter se coierint. Quae enim christiani nominis pars pace hac non comprehenditur, quae Dei summi certissimo numine aspirante, Clementis VII pontificis maximi, Caroli V caesaris augusti, imperatoris invicti (utrumque sanctitatis et majestatis causa nomino) hortatu, auspiciis, ductu, autoritate hodierno die in hoc sanctissimo delubro ad illud sacrosanctum altare ac pulvinar sacris rite susceptis et peractis, sancita est et constituta? Hanc sibi pacem Franciscus, Galliae rex, vir bellicosissimus et opulentissimus idemque omni regali laude praestantissimus, neque communi tantum majorum suorum cognomine, sed sensu etiam et voluntate christianissimus, optatam et jucundissimam esse per legatos testificatur. Hanc Henricus, Britanniae rex, vir summa virtute, neque in bello acrior, quam pacis et concordiae amantior, novis nuper legatis missis comprobavit. Quid Joannes, Lusitaniae rex, vir cum paternae gloriae stimulis, tum animi sua magnitudine ad novas et ante ignotas mundi partes indagandas atque ad veri dei cultum adducendas mirifice incitatus, nonne is assiduis precibus jam diu, ut haec pax fieret, et adhortatione contendit? Quid vero de caesaris fratre Ferdinando, Pannoniae rege, dicam? viro non modo generosissimo ac fortissimo, sed uno etiam ad Turcarum furorem comprimendum atque impetus propulsandos paratissimo? Quoties ille per legatos litterasque suas pacem expetivit! De Sigismundo vero, Poloniae rege, sene prudentissimo atque impiis ac finitimis hostibus debellandis exercitatissimo, quid attinet dicere? Quantae is laetitia hunc de pace nuntium excipiet, qui semper a christianorum discordiis ac dissensionibus non loco ipso modo abfuerit, sed animo etiam et consilio abhorruerit! Atque hi quidem extra Italiam omnes ad communem rei publicae causam voluntates suas aggregarunt et iidem et ante cum cassaris imperio conspiraverunt et hodiernam pacem magno animorum assensu et certissimis auxiliorum promissis ac pollicitationibus ad bellum contra impios atque infensos nomini nostro hostes suscipiendum ac gerendum ratam fecerunt et approbaverunt. Jam vero in Italia primum florentissima Venetorum respublica, quae plurimum semper domestica disciplina, terrestribus copiis et navali gloria valuit ac floruit; deinde Franciscus Sphortia, Mediolani dux, vir ingenio et virtute singulari ac firmissimo animi robore in utraque fortuna ferenda praeditus, unius concordiae studio adducti non libenter tantum, sed etiam alacriter propositas sibi pacis conditiones acceperunt. Ad horum autem consensum suam quam

egregia voluntate sententiam adjunxit clarus genere, clarus justi moderatique imperii laude Carolus, Sabaudiae dux! Fridericus vero Gonzaga, Mantuae marchio, non familiae modo splendore illustris, sed etiam spectata in magnis imperiis, quae pontificis maximi et caesaris auspiciis gessit, virtute ac fide: is certe praesens nuper declaravit, nunquam se ad justam paucorum causam opibus armisque juvandam, quam ad communem hanc pacem studio ac sententia sua comprobandam paratiorem fuisse. Neque in hac principum enumeratione praetereundus est adolescens nobilissimus, summa indole atque eximia spe, Bonifacius, Montis Ferrati marchio; ipse etiam nuper coram in pontificis se et caesaris fide ac potestate perpetuo futurum planissime ostendit. Cum quanta praetera officii sui testificatione et in pace appetenda studio et Genuensium illustris in Liguria civitas, quae permultum semper classe maritimisque rebus valuit, et in Etruria Senensium ac Lucensium, quae et suis opibus et caesaris gratia maxime vigent, ut hujus pacis conditionibus illigarentur, contenderunt! Quod si qui sunt adhuc a tanto communique consensu omnium alieniores, et ipsi etiam brevi, ut resipiscant, optandum et sperandum est. Et profecto resipiscent. Qui enim credi potest, illam vim ac dei nutum, qui tot jam prope perditos et profligatos populos per tam multorum et tam potentium principum pacem ad salutis certissimae spem excitavit, ab uno et altero aut principe aut civitate aversum fore?

Sed quid ea amplius pace omnino fieri aut cogitari potest, in qua non modo praestantissimae, sed plane omnes, quod saepe tentatum, nunquam autem effectum est, christiani imperii partes consenserunt? Jam vero quanta sit ejus dignitas, est certe hominum praestantia metiendum. Quid autem aut iis, qui paci conciliandae praefuerunt, pontifice scilicet maximo et imperatore, quam late christianum nomen patet, sanctius ac sublimius aut quid potentissimis regibus, qui, eorum auctoritatem secuti sunt, magnificentius? Quid optima re publica, nobilissimis principibus, florentissimis civitatibus clarius? Quae vero erit unquam pax diuturna, quae satis firma ac sancta societas, si haec hodierna pax (quod Deus omen obruat), quam nobis ostendit, spem atque exspectationem fefellerit? Est certe infirma et instabilis vitae conditio, spes hominum fallaces, lubrici maxime votorum eventus, sed ipsa primum nobis minime dubia humanarum rerum vicissitudo hanc, de qua nunc agimus, pacis diuturnitatem praestare quodammodo videtur. Nam cum tota fere aetas nostra ex acerbissimis principum et populorum discordiis, atrocissimis bellis fuerit infecta, consentaneum certe est adesse jam illud tempus, quo (nisi suam Deus

civitatem, quod est maxime ab ejus infinita misericordia alienum, funditus velit delere) a turbulentissima calamitosissimorum temporum agitatione conquiescamus. Atque ad reliquam diuturnitatis spem hoc etiam accedit, quod neque vi neque metu, sed quod pacis proprium est, libero consilio ac voluntate sunt omnium repente cogitationes odiis restinctis atque armis abjectis ad concordiam et amicitiam conversae. Tantumque omnino abest, ut ulla in hac pace simulatio versetur, ut non forma tantum pristini inter summos principis belli sublata, sed ipsa etiam litium et concertationum recordatio evanuisse videatur. Vicit tandem temeritatem ratio, aequitas contumaciam prostravit, evertit elationem animi mansuetudo, fides et odia restinxit et ipsam etiam inimititiarum memoriam abolevit, justitia et pax osculatae sunt, veritas de terra orta est et justitia de coelo prospexit. Et quis quoque dubitabit, quin firmissima atque adeo indissolubilis futura sit ea concordia, quae sit per summas et maxime divinas virtutes conglutinata et in qua vis victa jure, mitigata sit acerbitas lenitate? Quod vero caput est, et vatum monitis et virtute tua freti, caesar, ejusmodi bellum terra marique primo quoque tempore a te apparatum ac susceptum iri confidimus, ut, cum semel christiani longe a domo atque a visceribus suis arma promoverint ac, quae sit, experti fuerint eorum bellorum dulcedo, in quibus et vincere optabile ac salutare et cadere pium ac gloriosum, nunquam in posterum ad ea certamina animum et cogitationem referant, quorum non facile quis dixerit, miserabilioresne sint clades an magis infames et lugubres victoriae.

Dixi de pacis amplitudine, dignitate ac spe diuturnitatis. Ad ejus nunc opportunitatem venio, in qua et calamitates et pericula maxima depellendi et optatissimam felicitatem comparandi certissima inest spes. Nam quae potuit esse pax opportunior, quam quae divinitus id temporis incidit, quo, nisi nos Deus respexisset, mentemque a saeculi nostri fraudium ac scelerum animadversione ad misericordiam ac lenitatem traduxisset, nihil unquam proprius fuit, quam ut cuncti fere Europae populi per implacabiles principum discordias ferro, fame morbo, vastitate consumerentur, pulcherrimae vero christianae rei publicae partes teterrimo atque a lege, victu moribusque nostris alienissimo hosti praedae ac ludibrio essent ac postremo divina religionis jura, quae ab animorum sempiterna nos pernicie vindicant, a tot retro saeculis sanctissime custodita, non falsis tantum et iniquis interpretationibus vitiarentur, sed novae etiam sectae furore et amentia e magna Europae parte exterminarentur? Non commitam, ut in tanta hodierni diei ac tam singulari laetitia praeteritorum malorum memoriam refri-

cem, itaque non commemoro agrorum populationes, non vicorum exustiones, non florentissimarum urbium direptiones, non sacrorum et profanorum capitum violationes praedico, ommito proeliorum strages, taceo tam multos ac tam paratos ad pugnam christianorum exercitus per hos triginta annos funestissimis dimicationibus deletos, ut vel singuli ad impias gentes profligandas, oppugnandas ac debellandas satis multum fuerint virium habituri. Praetereo aetatis nostrae innumerabiles alias calamitates et miserias, quarum non modo impetum expavimus, sed nunc etiam recordationem ipsam reformidamus atque horum quidem, quae relinquo, omnium nihil jam fuit deprecandum, quod, nisi a summi Dei bonitate haec esset pax principum rei publicae animis illapsa, aut aliquid etiam eo gravius ac miserius passuri non videremur atque id quidem nemo jam erat plane, qui non metueret. Quid vero ea pericula, quibus praesens ac certa pestis a longinquioribus quasi membris ad ipsa rei publicae vitalia serpebat, animo dumtaxat et cogitatione percipiebamus ac non ipsis etiam ferme oculis cernebamus! Erat, credo, obscurum, quid saevus ille Turcarum tyrannus, communis christianorum et sempiternus hostis, moliretur, ad quas orbis sibi partes viam affectaret. At ille quidem et ante semper observatis discordiarum nostrarum temporibus ad aliquam imperii nostri partem invadendam ex insidiis prosiluit. Neque enim ad ea, quae nunc possidet, occupanda magis bellica virtute aut copiarum magnitudine ac robore usus est, quam nostrarum dissensionum occasione. Sed idem ille, cum Asiae imperio non contentus Europae multas regiones miserabili servitute oppressas teneat, Bisantium, alteram imperii sedem, Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, Euboeam, Graeciam, Peloponnesum, Epirum, magnam Dalmatiae partem ac postremis hisce temporibus in potestatem suam redactam inferiorem Pannoniam, nimirum ad Germaniam nunc animum adjiciebat. Ac, nisi nuper a Vienna, regia superioris Pannoniae urbe, ad quam omnibus opibus atque operibus oppugnandam fuerat aggressus, Ferdinandi regis, viri clarissimi et fortissimi, virtute ac vigilantia repulsus fuisset, minus certe matura (ne quid gravius dicam) de pace fuissemus consilia inituri. Illa enim si praesidia, illud rei publicae nostrae si propugnaculum expugnasset, quid aliud jam erat exspectandum, nisi ut Germaniam ac Italiae pulcherrimas ac nobilissimas partes non excursionibus tantum, sed perpetuis etiam castris infestas redderet, agros et oppida ad vastitatem redigeret, Dei ac divorum templa hominumque sedes foedissimis caedibus cruentaret? Et hoc quidem nostro ac conjugum liberorumque capiti impendebat.

Alia vero exstiterat labes ac certissima religionis corruptela, quae si invaluisset, non illa quidem mortali huic et caducae vitae periculum creasset, sed animos aeternis ac diris cruciatibus damnasset. Dissidentibus enim de imperio principibus atque ita, ut fit, in maximis bellis aliud curantibus, quae clam ante obrepserat, jam se efferebat atque ostentabat scelerata illa nefariorum hominum factio, quae vetere ac divina lege aut abrogata aut depravata, inexpiabili introducta voluptatum ac libidinum licentia, imperitam multitudinem a vera pietate ac legis comprobata et sancita observatione avertebat. Atque hae quidem cum bello in re publica pestes atque intoleranda confluxerant mala, quae pacis tranquillitas aut jam compressit aut sola certe in posterum poterit compescere ac propulsare. Itaque cum primum de pace agitari coeptum est, ipsam fere pacis spem et agrorum inopinata fertilitas et summa coeli salubritas consecuta est. Insolentem vero in nostris discordiis ac terribilem hostem, in pace atque otio segnem ac timidum, unus hic de pace rumor a Viennae ante moenibus repulsum adegit, ut e Pannonia, quo ante milites in hiberna deduxerat, in Thraciam ac Bisantium suum illum infelicissime nunc omnia conatum exercitum reportaret. Jam vero improbi ac scelerati impiarum conjurationum duces et autores, quo tandem animo, quam fracto et debilitato accipient rem publicam convenisse, fore jam legibus ac judiciis locum ac sibi aut statim a pristino furore atque amentia mentem revocandam, aut gravissimas vecordiae ac pertinaciae suae poenas subeundas! O faustam et diu optatam pacem, per quam non sensu tantum ac voluntate conjungimur, sed respiramus etiam ac reviviscimus! Et quales jam constitutae et confirmatae fructus futuros existimamus, cujus tam fuerit ipsa spes salutaris! Quidque non salutem tantum perpetuam ac a molestiis vacationem, sed felicitatem etiam ac certissimam hodierna pax nobis gloriam pollicetur? Mitto perspicua illa et quae pacem semper non aliter, quam umbra corpus, bona consectantur, tranquillam civitatum libertatem, agrorum ubertatem, sobolis propagationem, libera ac tuta populorum commercia, mittoque, quae bellicis furoribus perculsa ac prostrata jacebant, se efferent et erigent litterarum atque ingenuarum artium studia, quorum est cultus et bene constitutis civitatibus et optimo cuique principi maxime honestus et necessarius, ac vigebit pacis comes, otii socia eloquentia. Sed haec et alia multa praetereo, non quia maxime expetenda non sint, sed quia in promptu sunt ac prima se pacis utilitates intuentibus offerunt. Quae potest autem major nostro saeculo felicitas contingere, quam si eae, quas paulo ante nominavi, imperii nostri partes e diri saevique hostis manibus extorqueantur? atque ii populi,

quos ille iniquissimo dominatu oppressos per LXXX jam plus annos probris, dedecore, contumeliis affecit, duris atque intolerandis imperiis afflixit, omni denique crudelitatis genere laceravit, a miserabili nunc atque diuturna servitute vindicentur? Et quod est certius hujus pacis propositum, cui et suscipiendae in Turcas expeditionis et christianorum liberationis causa subscripta est? Et quae te alia, caesar, causa ex ultimis terris in Italiam evocavit, nisi ut pace rei publicae reddita invictos exercitus tuos contra tetram illam et efferatam sanguine nostro beluam converteres ac suam Pannoniae, suam Graeciae, suam tot christianorum nobilissimis populis libertatem redderes? O dulcis recipientibus libertas, reddenti gloriosa! Illi ad te, caesar, ex florentium olim urbium ruinis et cadaveribus, squalore et foedo corporis habitu obsiti, macie ac pallore perempti supplices manus tendunt, tuum sibi promissum toties vatum praedictionibus ac divinis oraculis nomen, tuam fidem, tuam misericordiam taciti ac metu compressis vocibus implorant: aut per te nunc se libertatem consecuturos aut perpetuis durissimae servitutis miseriis damnatos intelligunt. Neque vero dubitant, quin voluntati votisque tuis certissima sit victoria responsura. Ex fama enim ipsa, quae, quin quo velit pervadat, nullis potest minis terreri, nullo proposito metu aut poena coërceri, satis jam cognoscunt, te virtute, autoritate, felicitate, bellicis atque imperatoriis artibus, non solum aequalibus tuis omnibus anteponendum, sed cum praestantissimis maximis superiorum aetatum imperatoribus comparandum; illo vero, cui nunc serviunt, impio atque impotente domino, adjunctis praesertim ad opes tuas sociorum auxiliis, classium, commeatuum apparatu, copiarum etiam magnitudine minime inferiorem, robore vero longo intervallo superiorem futurum intelligunt. Quamobrem, si eorum aliquando locorum vel extremas oras ac litora attigeris, continere se non poterunt, quin se ultro ad te cum conjugibus ac liberis effundant. Atque haec, caesar, populorum tibi ratio nomen tuum immortalitati consecrabit. Sed non his tamen est finibus gloria tua circumscripta. Speramus enim (et quae potest esse de tam excellenti virtute tua tantaque apud summum Deum gratia vana hominum expectatio, aut quae non est tam multis ac minime inter se discrepantibus vatum responsis fides habenda?) te, inquam, speramus universae Europae imperiis constitutis in Asiam fugientium ac fusorum hostium reliquias persecuturum. Ac multi jam tempus illud cogitatione complectuntur, quo Hierosolimam ingressus sanctissimum illud monumentum venerabundus osculabere, in quo membra sua condi voluit, qui per mortem suam ad aeternam vitam nobis aditum patefecit. Atque

inde in Italiam cum victoria et triumpho reversus in hujus sanctissimi patris conspectu pro tam ingentibus ac tam feliciter gestis rebus Deo nuncupata vota persolves. Qua te hic ipse pontifex maximus, qui nunc verae ac solidae gloriae iter ingredientem tanto te amore et charitate prosequitur, gratulatione excipiet? Quis vero ex hac augustissima sacrosanctorum hominum et illustrium principum corona cum te intuebitur, non innumerabiles victorias tuas atque incredibiles prope maximarum rerum eventus obstupescet? Quis gaudii tibi sui certissima signa non voce solum ac plausibus, sed ipsis etiam prae gaudio effusis lacrimis non impertietur? O exspectati temporis felicitas, o beati, qui maximis periculis ac malis defuncti ad hodiernae sunt pacis laetitiam reservati! Quanto vero beatiores, qui ea bonorum summa, quam haec ipsa confecerit pax, perfruentur! Sed quoniam hic hodiernus dies et imminentes calamitates depulit et ad optimam nos in posterum spem erexit, Deo optimo maximo primum, a cujus est numine ac benignitate pax profecta, deinde summis rei publicae principibus, qui e coelo precibus evocatam ac suis conceptam divinitus animis tam liberaliter cum ceteris communicarunt, ea, quam oratione consequi possumus grati animi pietate, sunt gratiae nobis agendae. Agnoscimus, Jesu Christe, summi patris fili, tuam in populum tuum clementiam et adoramus. Tu proprio primum nutu atque immensa ductus benignitate, almae deinde tuae parentis reliquorumque coelitum deprecationibus exoratus in difficillimis atque angustissimis temporibus pestem a nobis ac perniciem depulisti. Tu saevi et immanis hostis accensas in fana tua ac tecta nostra faces exstinxisti; tuae denique mentis serenitas diuturni erroris nostri caliginem dispulit ac dissipavit.

Tibi vero, Clemens, pontifex maxime, quas universa Christi respublica, fidei ac pietati tuae credita ac commissa, gratias habeat, cujus semper animus pacis studio atque amore flagravit, qui, dum per maximas rerum ac temporum difficultates mente fideque optima ad pacem contendis, vitam tuam devoveris atque in certissima pericula caput conjeceris. Tua certe nos prudentia, tuum istius altissimae mentis consilium, tua animorum pertractandorum peritia, tua denique tolerantia ac patientia hodiernae nos pacis compotes fecit. Valuerunt illae repetitae toties supplicationes tuae, vota concepta ac nuncupata, caste ac pie susceptae precationes, effusae toties, quarum istae arae ac sanctissimi foci testes sunt, pacis desiderio lacrimae valuerunt.

Tuam vero, caesar, imperator omnium optime atque invictissime, magisne animi magnitudinem, bonitatem ac mansuetudinem praedicemus,

an vero pietatem admiremur? Tu quidem propensam semper ad pacem et concordiam voluntatem prae te tulisti. Tuus vero iste magni et excelsi animi vigor turbulentissimis temporibus nulli, neque homini, neque animi perturbationi, neque fortunae succubuit. Ac cum multa, gravissimis potentium inimicorum injuriis lacessitus, justa ac necessaria etiam bella susceperis et summa celeritate confeceris, eas, quas tibi victrix prope ipsa veritas et causae tuae aeqnitas detulere victorias, quae sine magna christiani populi jactura contingere non potuerunt, tristes ac luctuosas putasti, neque id vultu tantum ac verbis, sed lacrimis etiam es et obsoleto vestitu testificatus. Tu maxima regna, tu vitam ipsam iis hominibus, quos tuae potestati victoria subjecerat, condonasti, atque eorum existimasti bellorum bellandique cupiditatem non armis et imperio comprimendam, sed liberalitate et animi moderatione restinguendam. Ubi vero prima pacis emicuit spes, ejus tu spei quasi scintillam non legationibus tantum et cohortationibus, sed tui etiam adventus celeritate inflammasti. Atque haec quidem inusitatae ac omnibus saeculis inauditae magnitudinis et lenitatis documenta fuerunt. Ad tuae vero pietatis laudem quis jam potest cumulus accedere? Tu cum ovans in hanc florentissimam urbem cum ingenti omnium plausu et exsultatione intrasses, hunc sanctissimum patrem, qui te jure ac merito ardentissime amat, ad ejus pedes prostratus adorasti. Christi legatum ac tuum ac totius rei publicae parentem gravissima et majestatis plenissima oratione agnovisti ac deinde ad eum ornandum et honestandum non voluntatem solum, sed tuas etiam opes contulisti, ac, ut universi hodierna pace frueremur, ad ipsius studia et autoritatem curam, vigilias, laborem, omnium denique animi contentionem adjunxisti. Magnas tu quidem, caesar, ante hoc tempus es adeptus victorias, majores et clariores ac tibi etiam ipsi optabiliores a Deo promissas ac paratas intelligimus, ac vigebunt illae quidem multorum saeculorum memoria, sed mihi crede, mansuetudinis, clementiae, pietatis, aequitatis tuae famam ad aeternitatem, quantum in se fuerit, omnis posteritas propagabit. Quodsi (quod futurum minime dubitamus) ad pacem tuendam, conservandam, amplificandam consilia opesque tuae cum summi pontificis autoritate et dignitate perpetuo consenserint, facile judicare potes, quantam sis ex conservata pace gloriam consecuturus, cui tanta hodie ex parta, quantum exspectare et excipere potuisti, ab universa republica facta sit gratulatio.

HABITA BONONIAE CALENDIS
JANUARII M. D. XXX.

ORATIO CAROLI, ROMANORUM IMPERATORIS ELECTI, AD HISPANOS DE SUO IN ITALIAM DISCESSU.

Video, viri Hispani, quam solliciti sitis quamque aegre feratis meam in Italiam profectionem, ut non solum de vestra, sed etiam de mea salute timere videamini dubitatisque (ut audio), id quod maxime evenire solet, ut, quam primum a vobis longe discessero, inter vos bella et dissensiones oriantur, vel aliquis forsan hostis regnum hoc rege vacuum aggrediatur et armis opprimere tentet. Cogitatisque de me, quod ego, qui tot maria emensurus sum ac in diversam orbis partem iturus, aliquod periculum subeam, aliquod detrimentum, aliquam calamitatem patiar. Grata profecto et jucunda est mihi haec vestra de me sollicitudo, gratum studium tam meae salutis conservandae, quam vestrae. Et utinam possem sine aliqua mea ignominia et nota continuus apud vos esse, profecto id libentissime facerem, tantus meus in vos est amor, tam grata consuetudo, tam magnum ipsius regni desiderium. Sed considerate, viri praestantissimi, quod et dignitate meae studendum est, ut eam, quam suscepi, imperatoris Majestatem cum dignitate, ut hactenus feci, tuear atque defendam. Faciam, etiam si omnes acerbitates, omnes molestiae, omnia denique pericula mihi solvenda forent. Deponite igitur per deos immortales, deponite hanc animi aegritudinem, nam ex meis laboribus vigiliisque vobis quietem et tranquillitatem et rei publicae christianae salutem dignitatemque procul dubio sum pariturus. Nunc autem si ea omnia, quae me in Italiam ire cogunt, vobis aperiam, non vereor, quin hoc meum consilium probaturi sitis cognoscatisque me, qui totiens meis armis tot hostes, tot reges, tot respublicas, tot nationes et gentes conspirantes in me unum fudi, fugavi atque superavi, qui potentes reges captivos habui, urbes opulentissimas subegi, alias vi cepi, terra marique plurimas victorias obtinui, intestinas dissensiones in hoc regno furentes compressi vosque ex caede miserrima, conjuges ac liberos vestros, templa ac delubra omnium vestrum ex acerbissima vexatione liberavi eduxique, nunc etiam de vestra salute cogitare et diligenter providere (ut

optime providi), ne quid detrimenti me absente patiamini. Cupio enim vos vestraque omnia conservare itemque defendere. Praeterea tantam spem et fiduciam in vestra omnium fide vestrisque armis posui et collocavi, ut me absente ab inimicis aliquod incommodum in regno isto non sit timendum. De me autem, obsecro, timere desinite, si injuste nemini bellum intuli, nullum offendi et nisi lacessitus contra aliquem arma sumpsi, si omnia mea consilia, omnes cogitationes semper ad deum immortalem, quem mihi propitium esse confido, retuli, speravique ac splerare debeo, illum pro eo mihi, ac mereor, gratiam relaturum. Si quid vero adversi contigerit, aequo animo paratoque patiar. Nolite quoque, nolite, inquam, existimare, viri optimi, quod ego sim tam ferus ferensque, qui lacrimis amantissimae uxoris non movear, qui dulcissimi filioli mei amplexu non oblecter, qui vestrum omnium preces non audiam et totius regni moerorem non intelligam. Haec atque alia ante oculos assidue versantur et moneor hisce rebus, ita tamen, ut dignitati meae et communi christianae rei publicae utilitate studeam. Quare, egregii viri, parcite jam lacrimis et maerorem deponite circumspiciteque, quantae rei publicae christianae incumbunt procellae et tempestates, nisi ego occurram, non enim solum de statu meo, sed de religione deque communi omnium salute cogitandum est atque providendum, ut meo labore, consiliis, opibus afflictam Italiam imprimis sublevem, pacem inter principes christianos (si ulla ratione fieri poterit) componam, furorem, maledicta ac libidines multorum, qui mihi et honori meo detrahunt, reprimam, meque et dignitatem meam ab invidis conservem, vosque a bello et impetu hostium, quod facile vestra ope fieri poterit, defendam.

Quae quidem omnia per meam in Italiam profectionem optime, ut statim vobis ostendam, fieri poterunt. Tria igitur sunt maxima, quae me cogunt et impellunt, ut in Italiam trajiciam. Ardor religionis tuendae, desiderium clementia et magnanimitate in afflictis urbibus utendi, honoris et dignitatis meae conservandae ac pacis inter principes christianos componendae cupido. Quae omnia ita mihi curanda sunt, ut me non natum ad otium et quietem, sed ad labores et vigilias et communem omnium utilitatem esse putem. Nec propterea me a Deo optimo maximo ad tantum imperium arbitror evectum, ut religionem ejus negligam ac mores hominum, qui jam diu collapsi jacent, contemnam, sed ut illam confirmem, hos vero instaurem. Videtis enim, ut quotidie religio christiana minuitur, ut leges ab antiquis patribus traditae ceteraeque virtutes pro nihilo habeantur. Multi enim veterem illam simplicitatem in fraudem, probitatem in nequitiam, liberalitatem

in luxum convertere, apud plerosque, quorum probatissimis exemplis formari atque componi ceteri deberent, aut nullus aut certe exiguus Dei cultus est, nulla ratio, nullum bene vivendi institutum, nullus pudor, nulla modestia. Justitia vel in odium vel in gratiam declinavit. Pietas in contemptum vel in superstitionem paene mutata est palamque hisce rebus omnibus peccatur sic, ut saepenumero virtus probis viris vitio vertatur, vitia vero ab improbis loco virtutum haberi soleant; quotidie ergo in religione haereses pullulant: sic Christi pietas minuitur. Hi mihi morbi sanandi, haec vulnera curanda sunt, luxus cohibendus, modus ponendus ambitioni, compescendae indomitae et effrenatae libidines, aviditati et sceleratae cupidini terminus praefigendus est, haereses tollendae et amputandae, ne longius malum hoc et virus inter christianos serpat. Haec et id genus alia me inducunt, impellunt et urgent, ut omnino in Italiam proficiscar, ubi haec commodius auxilio, ope et consilio Clementis, pontificis maximi, et sacratissimorum patrum corrigi et sanari poterunt, et religionem ipsam ad normam et regulam antiquorum patrum redigi posse confido. Debeo enim religionem ipsam omnibus anteferre eamque a perfidis et sceleratis hominibus protegere, cum me propterea Deus optimus maximus ad tantum imperium evexerit ac tantas victorias praestiterit, ut eam tuear atque defendam et ejus in terris vicarium non solum in Petri solio et ejus patrimonio conservem, sed ampliorem et illustriorem reddam.

Quod autem mihi secundo loco proposueram, miserae et afflictae per tot annos Italiae succurrendum est; miseret enim me illiusque vicem doleo ac queror tot caesorum hominum milia, quorum cadaveribus et contecti sunt campi et retardati fluviorum cursus eorumque cruore superum mare et inferum quasi quadam purpura infectum est. Urbes direptae, oppida incensa, omnia deleta et prostrata jacent. Danda est igitur mihi opera, ut urbes Italiae restaurentur, bellum amoveatur, possessiones et praedia, quae a militibus injuste possessa sunt, illis reddantur, quibus abstracta fuerunt, damna, quae populi passi sunt, resarciantur, omnia ad pristinum vigorem et cultum restituantur. Quae omnia faciam. Ita Deus mihi secundo foveat numine et me incolumem in Italiam pervenire concedat. Urbi quoque Romae succurrendum est, quae a nostris militibus me inscio et absente direpta et omnibus opibus ac fortunis spoliata fuit, quo facinore testor Deum optimum maximum nil mihi molestius aut acerbius accidere potuit. Qui si ad eam incolumem pervenero, dabo operam, ut amissae opes, quam maxime fieri poterit, reparentur.

Ut autem haec omnia diligentius et tutius facere possim, cupio etiam cum maxima regni mei et opum jactura pacem cum principibus christianis componere atque firmare. Speroque meo labore magnas controversias dirimere et totam Italiam miseriis ac metu liberare, si qua hominum aequitate res ad otium deduci poterit. Verum enim vero spem habeo maximam, me haec omnia ingenii mei facilitate peracturum. Quamobrem haud dubito, quin Deus suae religionis misertus hac mea in Italiam profectione illud, quod mihi maxime est in optatis, non solum praestet, ut pax inter universos christianae religionis reges atque principes ineatur, verum, ut me ipso auctore consociatis omnium armis in Turcas transmittatur, quo et pristina christianae religionis jura recuperentur et illa pro viribus etiam atque etiam propagetur.

Quare vos hortor, viri optimi, ne meum hunc a vobis discessum aegre feratis, quinimmo meam vobis ante oculos virtutem diligentiamque proponatis, factum totiens cum hostibus potentissimis et invictissimis periculum, quos armatos totiens superavi. Magnum mihi, uti hactenus fuit, a Deo spero praesidium, magna vis est conscientiae, et etiam in nobis is animus est, ut non modo inimicos non timeamus, sed impios ultro lacessamus. Quare illud perficiam, opinor, ut ea, quae gessi, tuear atque ornem et, si qua est invidia in conservando regno meo et amplificando, suscepta laedat invidos, mihi vero plurimum prosit ad gloriam sempiternam. Vos igitur, viri Hispani, de me timere desinite et vestra unanimes mecum defendite. Nam ut perpetuo in pace esse possitis, quam diligentissime providebo curaboque, ut longe lateque imperium nostrum cum summa nostri nominis gloria augeatur. Et sicuti ex discessu meo maestos et tristes vos esse conspicio, ita spero, composita inter christianos omnes pace atque concordia ac debellatis impiis Turcarum copiis terra marique me maxima cum laetitia et exsultatione triumphantem accipietis.

5, -1
22XI66

DD 176 .A2 A65 C.1
Romuli Amasei De pace oratio h
Stanford University Libraries
3 6105 034 289 855

DD
176
A2A

Stanford University Libraries
Stanford, California

Return this book on or before date due.